



A 231  
3

00. J.

Hist.

III

C. 2.



13  
12  
COMMENTATIO PHILOLOGICA

AD VERBA  
I. REG. XIX. v. 19.

וישלך נדרתו אליו:

QVAM

CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

D. 27. FEBR. A. MDCCL.

IN ACADEMIA GRYPHICA

H. L. Q. C.

PVBlice DEFENDENT

M. GEORGIUS BROCKMANN,

DIAC. NICOL.

ET

FRIDERICVS MAGNVS DE HORN,

S. S. THEOL. STVDIOSVS.

---

GRYPHISWALDIE,  
LITTERIS HIERON. JOH. STRVCKII.



UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK





DVCATVS POMERANIÆ SVETHICÆ

ET

PRINCIPATVS RVGIÆ

ORDINI EQVESTRI

ILLVSTRISSIMIS

DNN. COMITIBVS

ILLVSTRIBVS

DNN. BARONIBVS

RELIQVISQVE

VIRIS GENEROSISSIMIS

ET ANTIQVITATE GENERIS ET GLORIA

MAIORVM ET PROPRIIS MERITIS

MAXIME FLORENTIBVS

HAS QVALESCVNQVE PAGINAS

SE SVAQVE STVDIA COMMENDATVRVS

HVMILLIMO ET OBEDIENTISSIMO ANIMO

OFFERT

FR. M. DE HORN,  
NOBILIS POMERAN.



INSTITUTIONS  
PHYSICAL SCIENCE  
ORIGINAL PUBLISHED  
BY THE  
DANISH COMMISSION  
FOR THE  
DANISH SCIENCE  
ACADEMY  
AT COPENHAGEN  
IN THE YEAR 1801  
BY  
J. H. SCHLEGEL  
PRINTED AND SOLD BY  
J. H. SCHLEGEL  
AT COPENHAGEN  
IN THE YEAR 1801







B. G. D.

COMMENTATIO PHILOLOGICA.

Ad I. REG. XIX. v. 19.

PRÆFATIO.



Inter illustria Prophetæ Eliae facta, & hoc omni iure a Syracide refertur, quod Prophetas sui constituerit successores. Quod quamvis de pluribus ab Elia ordinatis Prophetis intelligi debere videatur; de Elisæi tamen inauguratione præcipue capiendum esse, ipse verborum Syracidis loquitur nexus. Quum enim Cap. XLVIII, 8. ita eius fluant verba: ο χριστιαν βασιλεις εις ανταποδομα, και προφητας διαδοχης μετ' αυτων; respexisse nobis videtur ad diuinum illud mandatum in monte Horeb Eliae, datum, de quo I. Reg. XIX. exponit, quo & Elisæum post se constituere prophetam admonebatur. Quamvis vero quoque ita Syracidis sumamus verba, non tamen ex illis quomodo huic Elias satisfecerit iussui, apparet, nec a Spiritu sancto hoc ita exponitur, vt interpretibus omnis præcipiatur ansa, diuersas de eius executione fouendi sententias. Fatemur equidem multos in

A

ca



ca versari haeresi, ac si satis luculenter a Syracide Eliae indicetur obedientia; alios 1. Reg. XIX, 19. quomodo diuino mandato obtemperauerit narrari, sentire: hos tamen & multos sibi habere contradicentes, non minus inter omnes constat. Sed hanc nunc quidem nostram non faciemus controuersiam. Praesenti nostro scripto in eo potius omnem nauabimus operam, vt facti Eliae 1. Reg. XIX, 19. enarrati appareat scopus. Quamuis enim fuerint qui illum data occasione definire sibi sumserint, plurimos tamen rem non tetigisse; alios caput causae non satis dilucide exposuisse, quilibet illorum examinans cogitata fatebitur. Consentiant enim in eo quidem fere omnes, hoc Eliae facti ad Prophetiae munus Elifaeum fuisse inauguratum; Ast si quaeras: Qui Elifaeus ex hoc Eliae facti diuinari potuerit se Eliae in munere prophetico fore successorem? neminem huic huc vsque satisfecisse quaestioni, videbis. Huius itaque rei vt nos nunc faciamus periculum, operae pretium nobis esse videtur. Agendum itaque ipsa Spiritus S. audiamus verba. Sonant autem ita:

וישלך אדרתו אליו :

Quae a Jonathane ita Chaldaice redduntur:

ורמא טושופיה עלווי :

A LXX. Interpretibus:

Και επεβρασε την μηλωτην αυτης επ' αυτον. A Luthero denique: Und warf seinen Mantel auf ihn.

Quae priusquam exponamus, de quibusdam circumstantiis facti faciemus verba; vt hinc eo facilius facti scopus patefcatur. Faxit Deus T. O. M. vt haec nostra coepta in altissimi sui nominis gloriam feliciter nostram.





Quum ad facti hoc nostro commate enarrati pleniorē notitiā Auctoris illius faciet consideratio, de illo quaedam statim sub initio adferenda sunt. Dicitur autem ille אֶלְיָהוּ: quod ipsius nomen nobis compositum esse videtur, ex אֶלִי & יָהוּ; & vi huius originis significaret Deus meus est Iah. Aut quod mauult Io. SIMON in *Onomastico* p. 524. ex אֶלִי & שִׁמּוֹן five יָהוּ quod perident est, deriuandum est, vnde robur domini dicendus esset. Scribitur autem idem hoc nomen ipsius quoque אֶלְיָהוּ 2. Reg. I, 3. quod ex priori decurtatum esse videtur. Sed his vtpote leuioris momenti diutius non immorabimur.

Quae praeterea de ipsius persona obseruari merentur, ipse diuinus scriptor 1. Reg. XVII, 1. complectitur, vbi הַתְּשִׁבִי מִתְּשִׁבֵי גִלְעָד dicitur. Et si quaeras cur הַתְּשִׁבִי dicatur? communis est interpretum sententia, patriam id ipsi dedisse nomen. De loci vero nomine, situ & conditione inter se dissentiunt. Sunt qui natale illius solum *Tofab* nomen, quos inter Rabbi D. KIMCHI; JONATHAN chaldaeus paraphraustes, R. S. JARCHI, & S. B. MELECH referendi; Alii rursus vti LXX. INTERP. FLAUII JOSEPHUS *Antiq. Jud. Lib. VIII. c. VII. Theſſon*; Alii denique *Thisbe* vocarunt. Nec omnes in eo consentiunt, quod id vrbis cuiusdam fuerit nomen. Est equidem haec communis Interpretum opinio, R. D. KIMCHI tamen אֶרֶץ *regionem* hic dici ita perhibet, cum quo S. GLASSIUS *Phil. S. L. IV. T. III. p. m. 1323.* eandem inflat tibiam, addens: illam Gileadis partem, quae orientem versus spectabat, hoc venisse nomine. Idem circa loci situm determinandum opinionum deprehenditur diuortium. GLASSIUS enim & JOSEPHUS II. cc. in Gileade illum quaesierunt, quibus tamen alii calculos non adiciunt. Facimus hic cum ADR. RELANDO, qui in *Palaeſt. Tom. II. Lib. III. p. 1035.* scribit: *Thisbe vrbis Galilaeae in regione tribus Naphtali, vnde captiuus abductus est Tobit a rege Aſſyriorum. Tob. I. 2. text. graec.*



§. III.

Vnde porro Elias **מתשבי גלעד** fuisse dicatur, non eodem modo definiunt; Aliis enim a patriæ nomine ita dici videtur; plurimis tamen haec verba: *ex inquilinis Gilead* reddere placet. Nomen 'quodque **תש"ב**, a **ישב** habitavit formatum, aduenam, inquilinum Pf. XXXIX, 13. denotat, nec quidquam nobis repugnat, quo minus hoc loco hunc vocis huius esse significatum, statuamus. Describitur vero Elias eam forsitan ob rationem ita, quia prouectiori aetate patriam urbem relinquens in Gilead habitatum concesserit, cuius peregrinationis causa tamen later.

§. IV.

De factis Eliae vt fufius exponamus, non erit opus; nihil enim hoc ad præsens illustrandum faciet. Id vero est quod maximam hoc loco meretur attentionem, quod nostrum factum Eliae diuino iussu perpetraverit. Colligimus id ex I. Reg. XIX, 16. vbi inter alia haec Eliae dicta perhibentur: **תמשח לנביא תרותך**. Postquam enim id diuini responsi Eliae datum esset, a Monte Horeb rediens eum in via Elifaeum offendisset, suum ipsi iniecit pallium. Ex quo gestorum nexu satis aperte nobis fluere videtur, Eliam diuino oraculo impulsam hoc exercuisse. Tractationis quidem scopus de horum verborum diuinorum sensu multa afferre vetat, hoc tamen obseruasse inuabit: omni carere dubio, Eliam iussam fuisse Elifaeum sui in munere prophético constituere successorem. **נביא** enim Prophetam denotare, inter omnes constat, & aequè certum est, **תרותך** loco tui, vice tua, an deiner staat, reddi posse. Conf. *Levit. XVI, 32. 2 Sam. XVI, 8.*; & quomodo quoque verbum **משח** reddere velis, & constituere tamen inuoluerit significatum, nullum omnino patitur dubium. Quae de his verbis enim habetur sententiarum diuersitas, ex diuerso vocabuli **משח** significatu quidem ortum suum traxit, qui a quibusdam vnxit, ab aliis constituit esse dicitur, constitutionis tamen tantum concernit modum, non ipsam vero negat constitutionem iussam. Ne longius quam par est a scopo diuergamus, vel tribus saltem verbis quae hic disputantur, dicamus. Sunt qui Elifaeum vnctione prophetam ordinandum fuisse inficientur, hique vocabulum **משח** improprie per constituit reddendum



dum esse propugnans. Ita enim verti posse inde probant: α) quia *Iud. IX, 8. 2. Sam. II, 4. 7. Cap. V, 3. XIX, 11.* ita sumatur β) *Pf. CV. v. 15.* Abrahamus unctus dicatur procul dubio tantum ob magnificentiae collationem, non factam unctionem. γ) Versio Chaldaica *Exod. XXVIII, 41. XXIX, 7. Levit. VIII, 15.* מִשָּׁח per כֹּהֵן reddat. Alii vero propriam vocis tumentur significationem & Elifaeum reuera unctum fuisse statuunt. Nobis perinde esse potest qualis eligatur significatus, cuius accedas sententiae; vti enim diximus firmo id stat talo, Elifaeum vi diuini mandati prophetam fuisse ordinandum, siue id unctione siue alio modo fieri quoque debuisset. Si tamen nostram efflagites sententiam, dicendum nobis videtur, plurimas rationes ficulneas esse, quibus improprium vocis significatum probare conati sunt. Quod enim ad loca scripturae adducta attinet, nescio plane cur proprius vocis significatus ex illis sit explodendus. Cur enim *Iud. IX, 8.* vocem per constituit redderemus? cum eadem constructione *1. Sam. IX, 16. XV, 17.* occurrat, vbi tamen vnxit significat? & nonne eodem iure de arboribus dicere potuit, se super se regem ungere voluisse, quo dicitur se velle constituere regem? Alter locus *2. Sam. II, 4. 7.* collatus cum *cap. V, 7.* arguit Dauidem bis unctum fuisse; quis vero inde vocabuli improprium argueret significatum? cum repetitae unctionis exemplum habeamus *1. Chr. XXX, 22. Conf. 1. Reg. I, 34. 39.* & Dauid priori loco a viris Judae, altero vero ab Israelitis legatur unctus. Ipse **RELANDUS** *Antiqu. S. P. II. c. VIII. §. 5. p. 233.* duplicem admittit unctionem, quamvis & pro improprio vocis significato pugnet. Quod ad *2. Sam. XIX, v. 11.* spectat, si durum tibi videtur adserere Absalomum fuisse unctum, interpretare verba: Absalom quem ungere volebam mortuus est. (vid. **GLASSII Phil. L. III. Tr. III. can. VII. p. m. 765.**) & quid tunc habebis quod pro tua militaret sententia? Locus ex *Pf. CV, 15.* maximum hic videtur habere pondus, quamvis dici posset, derivatum hoc loco adhibitum ipsa sua radice latius sumi potuisse, diuinumque Pfalterium non ad solos respexisse Patriarchas, sed horum exemplo diuinam victorum tutelam docere voluisse. Versio denique chaldaica *Exod. XXIX, 7.* Mosis verba sinistre interpretatur, vti textus hebraeus & historia ipsa docet, vnde ipsius auctoritate parum hic efficietur. Sed sit quoque sumi ita posse verbum מִשָּׁח; sit hoc loco ita esse sumendum,



dum, quod tamen grauioribus, quam hucusque a DACHSELIO Diff. de *Vnctione Elifae & reliqu. prophet.* factum est, rationibus stabilien- dum; nostra tamen immota semper manet sententia, Elifaeum divino iussu ab Elia prophetam fuisse constituendum. Et hinc apparebit, Eliam diuini mandatarii habuisse partes, quum pallium suum iniiceret in Elifaeum, sui illum constituturus successorem. Quomodo vero has expleuerit partes, sequentia docebunt.

## §. V.

Postea quam de Elia verba fecimus, de Elifaeo dicendum erit, in quem suum Elias coniecisse legitur pallium. Describitur ille *I. Reg. XIX, 16.* his verbis: **אלישע בן שפת מנחם מחולה**. Nomen huius viri quod hic habemus, quidam ex **אל** & **ישע**, salus compositum esse censent. SIMON vero *l. c. p. 491.* compositionem ex **אל** & **שע** adspexit praefert. Ignotum nobis est, quare Elifaeo hoc datum sit nomen. Quod enim de illo Epiphanius refert: mugisse scilicet cum Elifae nasceretur vnum ex vitulis aureis a Ioroboamo confectis, illumque mugitum Hierosolymis fuisse auditum, vnde sacerdos quidam prudens coniecisset, natum eo die esse quendam, qui omnia aboliturus esset idola; fabulas sapit, & frustra itaque id denominationi Elifae locum dedisse statueretur.

## §. VI.

Quod praeterea **שפת בן** dicitur, id ita intelligimus, Saphatum fuisse eius patrem proprie dictum. Quamuis enim alias vocabulum **בן**, **אב**, **בכנה** exstruxit deriuatum, quemcunque ex posteris alicuius denotet, nihil tamen nobis obstat, quo minus hoc loco proprie sumatur, significetque talem qui immediate ab alio est genitus. Patris vero **שפת** nomen nullibi, si hunc locum exceperis, in scriptura S. habetur. Ex *v. 19. huius cap. XIX.* tamen colligi potest agriculturam exercuisse, & virum diuitem fuisse, cum duodecimo bouum iuga habuisse dicitur. Reliqua vero de illo nobis latent. Est quidem regula Iudaeis probata: **כל ששמו ושם אביו בכמות בידוע שהוא נכח בן נכח**; *Cuiuscunque nomen & nomen patris ipsius est in prophetia, manifestum est illum esse prophetam filium prophetar.* vid. D. KIMCHI Praef. in *Hoseam*; & hinc



& hinc concludi posse videtur Saphatum prophetam fuisse; ast lubrico fundamento haec superstructa esset sententia. Neque enim haec regula ab omnibus Iudaeorum doctoribus probatur, neque unversalis esse videtur, ad hunc potius applicanda tantum casum, vbi ipsi Propheetae sua patrumque suorum nomina in titulis Prophetiarum suarum scriptarum posuere; neque si & hoc modo limitetur unversaliter vera esse deprehendetur. vid. CARPZOVII *Introd. ad Lib. V. T. P. III. p. 91.*

§. VII.

Tandem מְחֹלָה מַכְּל מַחֹלָה Elifaeus fuisse dicitur. Nomen urbis patriae hic innui putamus, vti LUTHERUM sensisse versio ipsius declarat. IONATHAN vero vocem מַכְּל appellatiue per מִשְׁרָן *plantium* reddidit, quod & Lutherus *Iud. VII. 22. 1 Reg. IV. 22.* in versione sua fecit. Ast מַכְּל proprium esse nomen alia similis nominis loca in Palaestina quondam obuia (vid. *2 Sam. XX. 25. 1 Sam. VI. 18. Ios. XIX. 18.*) indicant. Et hinc in Abel Mecholae situm inquiri deberi, nobis opus esse videtur. Sunt qui illam urbibus Ephraim annumerant vti SIMON *l. c. p. 289.* Aliis urbs tribus Ruben vti ISIDORO; aliis tribus Zabulon, vti HASAEO in *Sylloge Diss. Phil. I. p. 13.* fuisse visum est. Nescio prorsus quomodo vltimi capienda sint verba. Scribit enim ita: - - - *cum vel sola tribus Zabulonitica produxerit Elisam narium in Abel-Mechola 1 Reg. XIX. 16. quam יְקִמְעֵי quae alias יְקִנְעֵי dicitur, hoc est in Sycamino famosa tribus Sabulonis urbe.* Sphalmata hic cumulata esse reor; alias enim erroribus haec sententia esset referta. Iokneam enim & Iokneam pro eadem habentur urbe, contra *Ios. XII. 22. 1 Reg. IV. 12.* ex quibus locis patet, Iokneam in Zabulon, Iokneam vero in Menassis tribu sitam fuisse. Praeterea quoque Iokneam & Abel-Mechola pro vna eademque habentur urbe, contra *1 Reg. IV. 12.* Nos hic rursus RELANDO accedimus, & Abel-Mechola tribui Menassis adscribimus, & quidem tribus huius parti cis Iordanica, qua medio inter hunc fluvium & Sichemum itinere deprehenditur vid. *Iud. VII. 22. 1 Reg. IV. 12. RELANDI l. c. P. III. p. 522.* A choreis Abel nostrum Mechola dictum putat SIMONIS *l. c. p. 289.* STOCKIUS *Clav. L. S. V. T. p. 8.* Mallem autem ita cognominatam a Machela vna filiarum Zelophhat ex filiis Menasse *Num. XXVI. 33. XXVII.*



XXVII, 1. quæ illam vel condidit, vel in distributione terræ sorte accepit. Ex *Iof. XVII, 3. seqq.* probabilis hæc fiet coniectura; patet enim inde Machelam suam accepisse portionem in parte tribus Menaffis cis Iordanica, vbi nostra Abel-Mechola est collocanda. Et si punctorum in utroque nomine diuersitas coniecturae aduersari videtur, cogites quam incurii in proferendis nominibus propriis Ebraei fuerint. Exemplum eius rei habes *Iof. XXI, 30.* cum *1 Paral. VI, 59.* collato.

## §. VIII.

Quæ de Elifæo dicenda restant, paucis complectamur. Agriculturæ illum addictum fuisse antequam ad Prophetæ munus vocaretur ex *1 Reg. XIX, 19.* constat. Num vero illum in coelibatu vixisse ex inde tuto colligi queat, quod v. 20. patrem ac matrem osculari velle tantum legatur, alii diiudicent. Nos nunc ad facti ipsius considerationem, pedem promovemus.

## §. IX.

Elias in Elifæum אררתו coniecisse dicitur. Videamus igitur quid, quod ipsi iniecerit, fuerit. Vocabulum אררת quod hic cum suffixo י, Eliam concernens, habetur, descendit a radice ארר, & est nomen formæ קליטה in fine auctæ per ה, pro quo tamen saepius vt notum est ת alternare solet. Deriuatum est ex Coniugatione Piel, vnde eius character Dagesch forte in media radicali ר remansit. Radix ארר in Kal non occurrit in codice, in Niphal vero usurpatur *Exod. XV, 6.* & magnificus fuit significat. In Hiphil *Iof. XLII, v. 2.* adhibitum magnificauit vendendum est. Formatur jex hac radice nomen אריר quod *Ier. XXV, 34. Iud. V, 25.* magnificus significat. אררת ipsi est cognatum & *Zach. XI, 3. Ezech. XVII, 8.* magnificentiam denotat; Alibi vero certum vestimenti genus, vt *Ion. III, 6.* designat. Ex ipsius itaque vocis, & vocis ipsi cognatae & radicis significatione apparet: Adderet esse genus vestimenti, quod ad magnificentiam suam declarandam veteres gestare solerent: Agnouit id. b. MELECH qui in Michlal ad *Ion. III, 6.* ita de voce אררת commentatur חיה אררת המלכה שעליו ונקרא כן להשיבתה וגדולתה חיה אררת המלכה שהוא ענין חוק וגדולה

Es pallium regium quo induebatur:  
ע' voca-



Et vocatur ita ob aestivum & magnificentiam, ex radice ipsius, quae significat validum ac magnificum. Observavit MERCERUS quæcumque ex radice אָרֶרֶת descendunt insigne aliquid denotare; vnde FULLERUS in *Miscell. S. Lib. IV. cap. 7.* concludit אָרֶרֶת vestem aut valde pretiosam, aut maxime vilem, maxime cum אָרֶרֶת subnectitur, significare. Sed si observemus אָרֶרֶת vestimentum esse potuisse, non ob materiam sed ob formam suam magnificentum dicendum, nostra adhuc sibi constabit observatio antea suppeditata.

§. X.

Erat autem Adderet vestis exterior, quae reliquis superinduebatur, quae itaque occurrentibus statim in oculos incidere potuit 2 *Reg. I, 8.* quae vehementer abreptis, decidere potuit 2 *Sam. II, 8.* quae salua verecundia abiici potuit *Ion. III, 6.* 1 *Reg. XIX, 19.* quae & vultus & reliqua simul corporis membra inuolui potuerunt 1 *Reg. XIX, 13.* Oblonga itaque ad talos usque profluens, totoque corpore inuoluendo apta. Ex versionibus huius vocis id fluere videtur. Sic enim LXX. ad *Ion. III, 6.* reddiderunt per *σολην*, eundem in modum quo *Jonathan Ios. VII, 21.* vocem אֶרֶבֶת adhibuit, quod ex graeco *σολη* factum, vestimentum muliebri ad talos dimissum significans, uti HORATIUS *Lib. I. Sat. I.* canit:

*Ad talos stola dimissa.*

SAMUEL ad hunc locum אֶרֶבֶת reddit, quod vestem superiorem denotat, quae germanis Mantel dicitur, uti ELIAS in *Thisbi* testatur. Tandem observamus vocem אָרֶרֶת non nisi *Ios. VII, 21. 24.* 1 *Reg. XIX, 13. 19.* 2 *Reg. II, 8. 13. 14.* *Zach. XIII, 4.* *Ion. III, 6.* eo sensu occurrere, ut quoddam denotet vestimentum; Cumque his locis tantum de regum ac prophetarum adhibeatur amictu, verosimile inde videtur, Reges solum ac prophetas gestasse Adderet. Quod & Nazareorum fuerit vestitus, rationibus destituti affirmare dubitamus.

§. XI.

Hactenus de Adderet in genere, nunc vero de Eliae pallio in specie agendum erit. Materiam eius ex qua quod spectat, ex pelle ouina aut caprina confectum fuisse videtur, vellere adhuc confito. Vox

B

Μηλωτη



μηλωτη ab LXX. adhibitum id probare potest, siquidem ut glossarium testatur *μηλωτη* est pellis lanata. Accedit quod villosum prophetarum fuisse habitum sciamus ex *Ies. XX, 2. Zach. XIII, 4. Ebr. XI, 37*; quod CLEMENS R. I. ad *Corinth. c. 17.* referat, sanctos quos inter Eliam nominat, circumiuisse εν δεγμασιν αιγαισις και μηλωταις in caprinis ovinisque pellibus, vti LUCRETIVS *Lib. V.* ait:

*Sancti pellibus & spoliis corpora vestire ferarum.*  
quod ipse Elias dicatur 2 *Reg. I, 8.* בעל שער dominus pili, sine dubio a suo vestitu, & vox שער saepius voci אררת adiciatur vti *Genes. XXV, 25. Zach. XIII, 4.* quod a LXX. redditur per *δοξαν δασειαν* pellem hirsutam recens detractam cum pilis, & per *δεσμων περισσω* pellem pilis hirtam. Non vero solum pilosum fuit sed & hirsutum Eliae pallium. Zottig. Concludimus id ex *Genes. XXVII, 11.* ubi Esauus בעל שער dicitur vti Elias, Rebecca vero vt Esauo Iacobum adsumilaret agni eum circumdare pellibus, quas hirsutas esse nemo ignorat. Ad fabulas Iudaicas autem relegamus, quae R. ELIESER in *Pike c. 31.* refert: Confectum fuisse hoc Eliae pallium ex pelle arietis, quem loco filii sui Abrahamus immolare debuit. De lana quoque caprina quondam inter se decertabant Monachi, cum Capucini coloris cilicii, Eremitae vero versicolor ex albo & canusino s. rutilo circulatum pallium Eliae tuisse statuerunt. Vid. VRSINUS *Anal. S. Vol. II. L. IV. c. VII. p. 169.* POL. VIRGILIUS *de Imu. rer. Lib. VII. cap. III.*

## §. XII.

Hoc pallium suum Elias immisit Elifaeo, quod exponunt verba: אליו וישלך אליו hic pro עליו positum esse b. MELECH observat. Vid. DANZII *Int. Cap. IV. §. 134. not.* Textus ipse quemlibet docebit *ו* pluralium nominum suffixum solum respicere Elifam. Verbum שלך quod hic in coniugat. Hiphil occurrit, nude iniecit significat; quae enim hic significatus admittenda esset intensio? Vid. DANZII *Int. §. 62. II.* Factum itaque Eliae satis clare hic est explicatum. Statuit quidem R. LEVI solum pallii Eliae volam, eine Schlippe, humeris Elifaei fuisse impositam, sed repugnant haec, & historiae & versioibus. Pallium enim non eius tantum pars Elifaeo iniectum narratur. Versio autem chaldaica שלך per רמא vertit, quae vox abiicere denotat, uti sumitur

Exod.



*Exod. VII. 20.* de Aaronē virgā ex manu sua proiiciente *Iud. XV. 17.* de Simfōne maxillam abiiciente. Et LXX. denique *επιπροπιτω* adhibent, *Luc. XIX. 35.* de vestimentis a Iudaeis alinis impositis vsurpatum. Simpliciozem itaque verborum tuemur significatum, & statui-  
mus: Eliam id quo indutus erat pallium fuisse, & illō Elisaeum  
vestiuisse. Quae praeterea de facto hoc dicantur non habemus.

§. XIII.

De facti huius consequentibus quaedam nunc quoque adfera-  
mus. I) Ipse diuinus scriptor refert *v. 20. f.* Elisaeum statim ac Eliae  
vestitus erat pallio aratrum mississe, Eliamque secutum esse, idque ab  
illo petiisse, vt priusquam se totum ipsius traderet disciplinae, quod  
tamen se facturum pollicetur, ipsi vltimum parentibus suis dicere vale  
liceret; Cumque hoc ab Elia impetrasset, addita tamen admonitione  
facti huius vt esset memor, ipsum boues mactasse, aratrum confre-  
gisse, & reuersum Eliae ministrasse. Indicant haec satis Elisaeum  
per hoc Eliae factum de nouo vitae genere eligendo certiozem fuisse  
redditum, quin imo ex solo hoc Eliae facto scire potuisse illud Eli-  
saeum, quod Eliae verba: Quid enim fecerim tibi? declarant. II) IO-  
SEPHUS quidem *Antiqu. Iud. Lib. VIII, c. 7.* refert Elisaeum statim  
ac Eliae pallio indutus erat, prophetare accepisse; silent vero hac de  
re sacrae paginae. III) Quaestio moueri posset: An ab hoc tempo-  
re Elisaeus semper Eliae amictus pallio incesserit? quam tamen negare-  
mus. Ex *2 Reg. II, 8. 13.* fluere enim videtur, hoc Eliae pallium tunc  
tandem in perpetuos Elisaei cessisse vsus, cum coelum versus Eliae  
raperetur.

§. XIV.

Tractationis tandem aggredimur caput, facti huius Eliae expo-  
sitioni scopum. Prius vero quam propriam dicamus sententiam, ali-  
orum placita recensebimus. Iudaeorum si hic consulas magistros, in  
tres illos sententias abire videbis. R. LEVI enim putat, hoc simbolo  
externo Elisaeo declaratum esse, fore eum imposterum sub Eliae tute-  
la. Probari id inde posse sibi persuadet, quod Elias Elisaeo pallii sui tan-  
tum immiserit volam, vola vero pallii alarum possit esse signum, qua  
B 2 inagine



imagine sacri videntur scriptores, quando tutelam indicare voluerunt. Conf. *Math. XXIII. v. 37.* Secundo loco KIMCHII opinionem proferamus; censet ille autem hoc ritu Elifaeum Eliae ministrum fuisse constitutum, & hunc illi quasi dicere voluisse: Tu in posterum meum post me portabis pallium. R. L. B. G. tandem statuit, immisionem pallii loco vinctiois fuisse, eoque signo indicatum quod Elifaeus futurus esset propheta; pallium enim prophetae fuisse signum. Ad Christianos quod adinet interpretes, nec hi idem de huius facti scopo sentiunt. SANCTIUS Com. in *4. Reg. II. coll. 128.* d. Monachatum Elifaei hic probari somniat. Ita enim ille: *Postquam vinctioe designatus esset propheta, per pallii communionem ad eandem societatem & vitae communionem vocatur. Neque enim si propheta esset eo nomine cogebatur cum Elia vitam degere communem. Inicerto itaque pallio in suam sibi societatem adsciuit, quasi eiusdem secum instituti participem. - - - Vinctio fecit prophetam Elifaeum: pallium autem contubernalem & Monachum.* SEB. SCHMIDIUS Com. in *b. I. & BUDDIUS Hist. Eccl. V. T.* faciunt cum KIMCHIO, probantque placita ex verbis Elifaei *v. 20. sequar te & v. 21. ministrabat ei.* Sunt alii qui hoc externo actu Eliam declarasse putant, Elifaeum nouum nunc vitae genus incipere debere, vnde nouo illi opus esset vestimento. Veteres enim consueuissent statim ac suum permutarent statum, priora deponere vestimenta, nouoque statui conuenientia induere. vid. *Genes. XXXV. 2. Deut. XXI, 13. 2. Reg. XXV, 29.* LYRA, TOSTATUS, PISCATOR, & inter plures WILLEMER *diff. de pallio Eliae* rem proprius tetigerunt, inaugurationis fuisse ritum statuentes. Et vltimi praeprius maxime se nobis probauit explicatio. Audiamus eius verba: *Immissio pallii est veluti inauguratio, qua Elias Elisam, concessio habitus prophetarum symbolico, ad suum, fidelium coetum, idem vii ac religiosae institutum, & gerendum aliquando ex dignitate munus propheticum vocauit ac inuestiuit. Eiusmodi vestium concessionem esse veram inaugurationem, ad munus sacrum pariter ac ciuile; ex Aaronis Num. XX, 26. & Sebae Jes. XXII, 21. haud dissimili exemplo manifesto colligitur.*

## §. XV.

Quod si de his variorum opinionibus nostram dicere debeamus sententiam; I) in genere id in omnibus desideramus, quod non satis distincte



distincte exposuerint, quomodo Elifaeus ex solo hoc Eliae facto diuinari poterit, quid sibi Elias vellet, quum ipse Elias ne verbulo quidem Elifam hac de re erudiuisset, legatur. Id autem praecipue monstrandum esse, nemo non videt. Quod si II) inspicere iudicium nostrum de qualibet sententia esflagites, R. LEVI subscribere non possumus, partim, quia quae dicit longe sunt petita, partim quia fundamento §. 12. iam subruo innititur. KIMCHIANA, & qui ipsi accedunt, Christianorum sententia, probabilior videtur; Ast quod solum Elifaei ministerium verbis, pro stabilienda sententia adductis, denotetur, id est de quo valde dubitamus. Prophetam enim sequi velle, & pedissequi munus suscipere velle idem esse quis dicit? Denotat potius haec loquendi formula, in alicuius se tradere disciplinam, vti hoc significato saepius occurrit in Euangelistarum scriptis. Et qui ex hoc Eliae actu ad futurum suum seruitium Elifaeus concludere potuit? Erant Prophetarum simplicitati aduersum ministrum sibi adsciscere, domini sui portantem vestimenta. Sententiam illam, per quam novum vitae genus hic indicari ponitur, acciperemus, si planiori destitueretur. Tetigit fere rem R. L. B. G. quamvis non probamus quod pallii immisionem loco vunctionis fuisse censent. Vltima adductarum sententiarum ad nostram proxime accedit, vltimus autem a nobis erit explicanda determinandaque.

§. XVI.

Statuimus autem, Elifaeum hoc externo ritu, Eliae in prophetico munere declaratum fuisse successorem. Elias enim hucusque inter Israelitas veri Prophetas diuini gesserat munus, quaeque illud sequuntur praerogativas habuerat. Iam cum Deo ita volente quae ipsius huc vsque fuerant in Elifaeum essent transferenda, ritu vitur externo per quem quemlibet patefieri posset, se Prophetarum renunciare iuribus, illaque lubentissime in Elifaeum conferre.

§. XVII.

Quo vero haec nostra sententia & eo melius introspiciatur, & reliquis illam praefarendam esse patefcat, morem quandam inter Veteres receptum satisque notum exponamus. Solerent antiquitus qui iuri quodam suo renunciarent, illudque alteri traderent, vestimentorum quorundam traditione id publice testificari. Plura in sacra codice occurrunt exempla, ex quibus hunc ritum cognoscere licet. Erat autem



pro diuersis circumstantiis hic quoque mos a se diuersus. Si enim quis aliquid sui iuris alteri cedere vellet, illique tradere potestatem propria adhuc, inferiorem, hoc ita declarabat, vt ius acquirentem vestiri pateretur vestimentis suis similibus. Ex Iosephi *Genes. XLI, 42. 43.* & Danielis *Dan. V, 16.* haud dissimilibus exemplis id colligi potest. Illi enim maxima cum post regem in regno Aegypti tradebatur potestas, vestimenta regi alias propria induebantur; huic vero, cum tertius in regno Babylonis constitueretur in ordine dominus, regia dabantur ornamenta. Nulli vero id accidit vt ornatu condecoraretur a regibus prorsus deposito. Si vero quis alteri traderet omne quod huc vsque possederat ius, illoque plane renunciaret, illa ipsa quibus indutus erat sumebat vestimenta, sibi que detracta, alteri offerebat, eo tamen discrimine, vt si spote sua id faceret, ipse sibi exueret vestimenta voluntate vero renuente si iuri cedendum esset, ab aliis suis vestimentis, se priuari pateretur. Exempla scripturae hoc nos edocebunt. Quum Ionathan ius patri in regno succedendi in Dauidem conferre vellet, ornatum principi haeredi proprium sponte sua Dauidi tradebat. vid. *1. Sam. XVIII, 3. coll. cap. XXIII, 17.* conf. peculiarem de hoc facto *diff. in Bibl. Lubecensi Vol. II. IV. p. 258. seqq.* Eundem in modum cum legitimus haeres Boazo agrum venderet, indicaturus, se nunc ius suum in Boazum transferre, calceum sibi exiit ac Boazo tradidit. vid. *Ruth. IV, 28.* conf. Io. CLODII *Diff. de ritu excalceandi in contractibus vsitato.* Ast cum Eleazar Aaronis patris constituendus erat successor, inuito Aarone cum hoc fieret, vestibus sacerdotalibus a Mose exuebatur, in signum Eleazarem nunc iisdem gauisurum esse praerogatiuis, quibus huc vsque Aaroni erat vsus. vid. *Num. XX, 25.* Similiter cum ab ipso Deo declararetur Eliakim Sebnac in officio successor, his id factum esse verbis vidimus: *Vocabo seruum meum Eliakim filium Hilkiae, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum & potestatem tuam dabo in manu eius. Jes. XXII, 21.* quae vltima verba priora symbolice expressa interpretantur. Patet ex his exemplis satis superque, ritum hunc inter Veteres Iudaeos satis notum fuisse.

## §. XVIII.

Simile his, hoc nostrum est Eliae factum. Elias pallium, vestimentum Prophetis proprium (§. 10.) quod hucusque gesserat, Eliae im-



impofuit humeris. Quum autem veftimentorum traditione iuri fuo renunciarent et ante & poft Elifaei tempora, ex hoc fati noto ritu fcire potuit facillime Elifaeus, fe fore Eliae in munere prophetico fuccefforem. Hinc & patet qui Elifaeus ftatim fe Eliae totum traderet, quamvis ab illo de facti huius fcopo non effet eruditus. Conuenit & haec noftra fententia cum reliquis circumftantiis antea adductis. Eliam diuinum ad hoc factum fuiiffe mandatarium ex §. IV. liquet, cumque ille Elifaeum ex diuino mandato in fui fuccefforem ordinare deberet, & a Monte Horeb reuerfus, cum Elifam in via offenderet, illi fuum imponeret pallium, eo fine, vt mandato diuino obfequeretur id fuiiffe cenfendus eft. Ex noftra porro fententia cognoſci poteft quare Elias, cogitata fua Elifaeo declaraturus, ad folum factum fuum prouocet: Quid enim feci tibi? Corroborant tandem dicta Elifaei declaratio, fe lubentiffime Eliam fecuturum, vt ab illo ad obeundum aliquando munus praepararetur.

EPILOGUS.

Habes hic B. L. noftra de hoc Eliae facti cogitata. Si forfitan quae diximus leuiores videntur quam vt tuo fint iudicio digna, per nos ſcriptum abiicere tibi licebit, non omnibus enim nos ſcribere potuiſſe probe ſcimus; ſi maioris momenti materiam eligendam fuiſſe putes, cogites illud Horatii:

*Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aequam  
Viribus.*

Si denique quae fecimus, Tibi placeant, iis nobiſcum vtete, & Auctori tandem faue.





17

Epistola ad Romanos

Paulus apostolus servus servorum dei ad Romanos gratia et pax a deo patre et domino nostro Iesu Christo semper vobis. Gratias ago vobis semper in domino propter fidem quam habetis et gratiam quam habetis in omni bono opere. Quia quod spero in vobis et quod spero in omnibus vestris fratribus et sororibus in domino. Quia quod spero in vobis et quod spero in omnibus vestris fratribus et sororibus in domino. Quia quod spero in vobis et quod spero in omnibus vestris fratribus et sororibus in domino.

EPHESUS

Epistola ad Ephesios

Paulus apostolus servus servorum dei ad Ephesios gratia et pax a deo patre et domino nostro Iesu Christo semper vobis. Quia quod spero in vobis et quod spero in omnibus vestris fratribus et sororibus in domino. Quia quod spero in vobis et quod spero in omnibus vestris fratribus et sororibus in domino.

Paulus apostolus servus servorum dei ad Ephesios gratia et pax a deo patre et domino nostro Iesu Christo semper vobis.

Quia quod spero in vobis et quod spero in omnibus vestris fratribus et sororibus in domino. Quia quod spero in vobis et quod spero in omnibus vestris fratribus et sororibus in domino.





64199

AB 64-199

ULB Halle 3  
001 970 631




TA → 2C


VD 17











Farbkarte #13

B.I.G.

73

7c

NTATIO PHILOLOGICA

AD VERBA  
REG. XIX. v. 19.

וישלך אדרתו

QVAM  
MISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
7. FEBR. A. MDCCL.  
ADEMIA GRYPHICA

H. L. Q. C.  
LICE DEFENDENT  
RGIUS BROCKMANN,  
DIAC. NICOL.

ET  
S MAGNVS DE HORN,  
THEOL. STUDIOVS.

GRYPHISWALDIE,  
HIERON. JOH. STRVCKII.